



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

Suspirium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

beneficiis, quæ à principio vitæ meæ usque ad hoc momentum in me indignissimum contulisti. In manus tuas ô paterna pietas ac providentia! quæ in sui dispositione non fallitur, me, omniâque mea perfectè resigno. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: tua sancta, justa & benevola voluntas semper & in omnibus sit quoque mea. Calicem, quem dat mihi Pater, mei amantissimus, licet amarum, non recusò ebibere cum JESU, ejusque doloribus jungo meos, atque sic unitos Patræ cælesti pro peccatis à me commissis, pro salute animæ meæ, pro refrigerio animarum in purgatorio, pro conversione peccatorum, gentilium ac infidelium, ex corde offero. Deus meus, amor meus, hoc est filiale desiderium meum, ut cor meum omnesque arteriæ meæ diu nocturneque nil aliud pulsent, quam continuas tuas laudes, & gratiarum actiones. O morienti mihi sint hæ ultimæ voces, JESUS, MARIA, JOSEPH. Inter brachia Josephi Patroni mei, in sinu amantissimæ Matris ac Advocatæ meæ B. Virginis, in vulneribus Domini mei pro me Crucifixi vivere ac mori desidero.

S U S P I R I U M.

Dulcissime JESU, per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maximè, quando anima tua benedicta egressa est de corpore tuo miserere animæ meæ in egressu suo. Amen. *Vide Cesar.*

PRO-